OBSERVATIONES CRITICAE

IN

ARISTOPHANIS RANAS.

SCRIPSIT

H. G. HAMAKER.



vs. 23 sqq.

Διον. αὐτὸς βαδίζω καὶ πονῶ, τοῦτον δ' ὀχῶ,
ἵνα μὴ ταλαιπωροῖτο, μηδ' ἄχθος φέροι.
Ξανθ. οὐ γὰρ φέρω 'γώ; Διον. πῶς φέρεις γὰρ, ὅς γ' ὀχεῖ;
Ξανθ. φέρων γε ταυτί. Διον. τίνα τρόπον; Ξανθ. βαρέως πάνυ.
Διον. οὔκουν τὸ βάρος τοῦθ' ὃ σὺ φέρεις, οὗνος φέρει;
Ξανθ. οὐ δῆθ' ὅ γ' ἔχω 'γὼ καὶ φέρω, μὰ τὸν Δί', οὔ.
Διον. πῶς γὰρ φέρεις, ὅς γ' αὐτὸς ὑφ' ἑτέρου φέρει;
Ξανθ. οὐκ οἶδ', ὁ δ' ὦμος οὑτοσὶ πιέζεται.

Iocus hic Dionysi de onere, quod Xanthias non ferat, quia ipse feratur, nimium protrahitur, et quum bis terque eadem nobis verbis non multum diversis proponantur, languidus fit et insulsus. Dionysus enim primum Xanthiam rogat *πῶς φέρεις γὰρ, ὅς γ' ὀχεῖ;* dein vs. 27. *οὔκουν τὸ βάρος τοῦθ' ὃ σὺ φέρεις, οὗνος φέρει;* denique vs. 29, iisdem paene quibus supra verbis, *πῶς γὰρ φέρεις, ὅς γ' αὐτὸς ὑφ' ἑτέρου φέρει;* Nec silentio praetermittendus est vs. 26, qui omnium maxime frigidus est et illepidus. Dionysus rogaverat: *πῶς φέρεις γὰρ ὅς γ' ὀχεῖ;* ad haec Xanthias *φέρων γε ταυτί*: inepte; his verbis enim neque lusus continetur, nec nodus, quo Dionysus

rem implicuit, solvitur. Manifestum est versum unice scriptum esse, ut auctor ludere posset in verbis *βαρέως φέρειν*, quae plerumque translate usurpantur, ut apud Romanos *graviter ferre*, sed hic etiam de gravi mole intelligenda sunt, quam servus portabat. Itaque ut Xanthias respondere possit, *βαρέως πάνυ*, Dionysus rogat, *τίνα τρόπον*; quamvis nihil sit, quod huic quaestioni locum dare possit. An Dionysum ignorare putemus servum suum in humeris *ἀνάφορον* portare, ex quo stragulae et reliqua onera suspensa sint? Hic igitur versus frigidi ioci gratia conflatus Aristophane prorsus indignus est. Denique in vs. 29, *πῶς γὰρ φέρεις, ὅς γ' αὐτὸς ὑφ' ἑτέρου φέρει*; male *φέρει* ponitur pro *ὀχεῖ* quod supra legitur et in hac re unice probandum est. Ego his rationibus motus quatuor versus vs. 26—29), insiticios esse puto et Aristophanem nihil scripsisse praeter haec:

Ξανθ. οὐ γὰρ φέρω 'γώ; Διον. πῶς φέρεις γὰρ, ὅς γ' ὀχεῖ;
Ξανθ. οὐκ οἶδ', ὁ δ' ὦμος οὑτοσὶ πιέζεται.

vs. 167 sq.

μὴ δῆθ', ἱκετεύω σ', ἀλλὰ μίσθωσαί τινα
τῶν ἐκφερομένων, ὅςτις ἐπὶ τοῦτ' ἔρχεται.

Horum versuum alterum Aristophanis esse non puto. Xanthias enim dominum rogat quidem, ut mercede aliquem conducat, qui pro se impedimenta ferat, sed quem id facere velit, significare non debet. Cadaver huic muneri adhiberi posse primum succurrit Dionyso, qui quum paullisper addubitasset, quemquam a se inventum iri, mox mortuo conspecto exclamat:

καλῶς λέγεις·
καὶ γάρ τιν' ἐκφέρουσι τουτονὶ νεκρόν.

Ipse versus eiusmodi est, ut nullum nos in eo damnum facere manifestum sit. Nam genitivus *τῶν ἐκφερομένων*, a quo orditur, admodum dure subiicitur post ultima verba versus superioris, *ἀλλὰ μίσθωσαί τινα*, quibus sententiam absolvi consentaneum erat. Quod sequitur *ὅςτις ἐπὶ τοῦτ' ἔρχεται* melius omittitur; nihil enim ad rem facit, quid sibi proposuerit is, quem Dionysus conducturus est. Ipsum denique responsum Dionysi, *ἐὰν δὲ μήνυρω* superiorem versum spurium esse osten-

dit. Xanthias enim sic loqui non potuit, si non complures efferri hoc ipso tempore mortuos videret; quod quum fieri non possit, quin Dionysus quoque animadvertat, sine causa dubitationem iniicere eum consequitur; in multis enim unum fore, qui rem suscipere vellet, dubium non erat.

vs. 180.

Διον. Χωρῶμεν ἐπὶ τὸ πλοῖον. Χαρ. ὠὸπ παραβαλοῦ.

Praepostere Dionysus, quem paludem et cymbam Charonis nondum animadvertere e sequenti versu manifestum est, in hoc versu ita loquitur, ut ipsum et Xanthiam dudum haec ante oculos habere dicas. Male etiam Charon inducitur exclamans *ὠὸπ παραβαλοῦ*: is enim quantum e sequentibus colligere possumus, post tertium demum versum conspicitur, et etiam si adesset, servum non habet, quem id facere iubeat. Nulla certe in sequentibus famuli mentio fit, et quod paullo post Baccho remige utitur, id ipsum indicat, alium praeterea adiutorem praesto ei non esse. Equidem versum, qui hoc loco necessarius minime est et ordinem turbat, spurium esse iudico.

vs. 277 sqq.

προϊέναι βέλτιστα νῷν,
ὡς οὗτος ὁ τόπος ἐστὶν, οὗ τὰ θηρία
τὰ δείν' ἔφασκ' ἐκεῖνος.

Horum versuum ultimus contrariis duobus vitiis laborat; nam infinitivus *εἶναι* desideratur et pronomen *ἐκεῖνος*, quo Hercules indicatur vitiose abundat. Xanthias enim et Dionysus, quoniam brevi ante sermonem cum Hercule habuerunt, quum dictum eius aliquod commemorant, neque ipso Herculis nomine utuntur, nec pronomine eum designant, sed in re recenti et persona nota, solo verbo contenti sunt. Itaque vs. 182 legimus: *λίμνη νὴ Δία | αὕτη 'στὶν ἣν ἔφραζε* et vs. 274 *κατεῖδες οὖν που — | τοὺς ἐπιόρκους, οὓς ἔλεγεν ἡμῖν*; Ego Aristophanem ne hoc quidem loco pronomen addidisse puto, et restituto infinitivo *εἶναι* corrigo:

ὡς οὗτος ὁ τόπος ἐστὶν, οὗ τὰ θηρία
εἶναι τὰ δείν' ἔφασκεν.

vs. 312. Ξανθ. οὗτος Διον. τί ἐστιν.

Male οὗτος tribuitur Xanthiae. Saepe dominus servum sic appellat, dominum servus neutiquam. Itaque οὗτος reddendum Dionyso et sequentia ad hanc rationem accommodanda sunt.

vs. 330 sqq. θρατεῖ δ' ἐγκατακρούων
ποδὶ τὰν ἀκόλαστον
φιλοπαίγμονα τιμὰν
χαρίτων πλεῖστον ἔχουσαν μέρος, ἁγνὰν, ἱερὰν
ὁσίοις μύσταις χορείαν.

Choreutae, qui saltando terram pede pulsant, dicuntur κρούειν γῆν ποδί vel κρούειν πόδα, sed neque κατακρούειν, nec quod hic legitur ἐγκατακρούειν hoc sensu usurpatur. Quod primo loco posui κατακρούειν de palis vel clavis dicitur, qui vi in terram vel lignum adiguntur; ἐγκατακρούειν autem nihil ab eo discrepat, nisi quod addita praepositio ἐν ad rem illam pertinet, in quam quid adigitur. Hinc palam est ἐγκατακρούειν de saltatore adhiberi non posse et corruptum esse; cuius rei alia praeterea indicia sunt. Ut enim ἐγκατακρούειν bene dicatur pro κρούειν, quis non videt choreutas terram quidem ferire pedibus sed κρούειν τὰν τιμάν durum esse et non ferendum? Deinde dativus ὁσίοις μύσταις ab editoribus iungitur cum ἱεράν; sed festa non celebrantur in honorem initiatorum sed deorum, neque chorus illis sacer est sed diis. Quae quum ita sint, mihi tamen persuasum est, dativum corruptum non esse nec mutari debere, sed pendere a verbo, cuius in ἐγκατακρούων vestigia supersunt. Aristophanis enim, ut mihi quidem videtur, scripserat:

θρασεῖ δ' ἔξαγε κρούων
ποδὶ τὰν ἀκόλαστον
φιλοπαίγμονα πομπὰν,
χαρίτων πλεῖστον ἔχουσαν μέρος, ἁγνὰν, ἱερὰν,
ὁσίοις μύσταις χορείαν.

Vides haec ita cohaerere, ut ὁσίοις μύσταις iungendum sit cum imperativo ἔξαγε: ἔξαγε ὁσίοις μύσταις τὰν ἀκόλαστον — πομπὰν, ἁγνὰν, ἱερὰν χορείαν. Praeterea repudiata codicum lectione, pro τιμάν dedi πομπάν. Requiritur enim hoc loco appellativum, quod cum adiectivis ἀκόλαστον et φιλοπαίγμονα

melius copuletur nec universe honorem diis habitum significet, sed eum sacra faciundi morem, de quo hoc loco agitur. Πομπάν longius quidem quam vellem a codicum scriptura recedit, sed metro et sententiae omnium maxime accommodatum est.

vs. 370 sq. ὑμεῖς δ' ἀνεγείρετε μολπὴν
καὶ παννυχίδας τὰς ἡμετέρας, αἳ τῇδε πρέπουσιν ἑορτῇ.

Hic quoque locus turpi mendo laborat. Nam μολπὴν ἀνεγείρειν pervulgatum est, ἀνεγείρειν παννυχίδα neutiquam; Graeci in hac re verbo στῆσαι vel ποιῆσαι uti solent. Praeterea non ferendus pluralis παννυχίδας de unius noctis pervigilio et inepte παννυχίς, qua totum fere festum continetur, dicitur πρέπειν τῇ ἑορτῇ. Corrigo:

ὑμεῖς δ' ἀνεγείρετε μολπὴν
τὴν παννυχίσιν ταῖς ἡμετέραις καὶ τῇδε πρέπουσαν ἑορτῇ.

vs. 377 sqq. ἀλλ' ἔμβα χὤπως ἀρεῖς
τὴν Σώτειραν γενναίως
τῇ φωνῇ μολπάζων.

Scholia contendunt verbum ἀρεῖς hic significare ὑψώσεις τοῖς ἐπαίνοις vel μεγαλυνεῖς; sed quamquam ὑψηλὸν αἴρειν minime rarum est, solum αἴρειν hoc sensu, quantum scio, nusquam occurrit. Itaque ἀρεῖς procul dubio corruptum est; in eius locum reponendum ἄρξει, quod librariorum oscitantia facile in ἀρεῖς abire potuit et huic loco accommodatissimum est. Nam e tribus carminibus in honorem Minervae, Cereris et Bacchi, quae chorus canens inducitur, carmen in honorem Minervae, quod infelici casu interiit (conf. vs. 382 sqq. et vs. 395 sqq.), agmen ducebat. Aptissime igitur chorus ab hac dea initium facere (ἄρχεσθαι) iubetur.

vs. 425 sqq. κἀκόπτετ' ἐγκεκυφὼς
κἄκλαε κἀκεκράγει
Σεβῖνον ὅςτις ἐστὶν ἀναφλύστιος.

In his versibus pathicus Clisthenes ritu mulieris mortuum amatorem, quem ficto nomine Sebinum appellat Aristophanes, deflere dicitur. Omnia bene procedunt praeter ultima verba ὅςτις ἐστὶν ἀναφλύστιος, quae sensu plane cassa sunt. Quis

enim credat Clisthenem amatorem suum ignorare et in tumulo eius sedentem magno clamore qnaerere, quis tandem sit Sebinus Anaphlystius? Nimis hoc ineptum est, quam ut quemquam poëtam ita scripsisse defensurum putem. Corrigendum videtur:

κἀκεκράγει
Σεβῖνος οὐκέτ' ἔστιν ἀναφλύστιος.

Sic Euripides in Alcest. vs. 278: σοῦ γὰρ φθιμένης οὐκ ἔτ' ἂν εἴην, et Thucyd. II. 45. τὸν γὰρ οὐκ ὄντα ἅπας εἴωθεν ἐπαινεῖν.

vs. 519 sq. ἴθι νυν, φράσον πρώτιστα ταῖς ὀρχηστρίσιν
ταῖς ἔνδον οὔσαις αὐτὸς ὡς εἰςέρχομαι.

Absurde Xanthias servam Proserpinae adventum suum nuntiare iubet: ipse enim, nisi prohibuisset Dionysus, una cum serva regiam intraret. Conf. vs. 512 et 521. Alienum etiam quod saltatrices de adventu certiores facit, ipsam dominam Proserpinam negligit. Itaque quum hae causae fecissent, ut Aristophanis esse hos versus multum dubitarem, accuratius eos inspicere coepi et alia praeterea argumenta inveni, propter quae spurii censeri debeant. Nam quod in primo versu legitur πρώτιστα numquam usurpatur nisi ita, ut vel sequatur ἔπειτα, vel certe res de qua agitur primum inter alias locum teneat. Hic autem servae praeter nuntium de adventu Xanthiae nihil mandatur, nec ulla adverbii πρώτιστα ratio reddi potest. Deinde inepte abundant verba ταῖς ἔνδον οὔσαις; Xanthiam enim saltatrices dicere, quas intus esse cognoverat, et per se intelligitur et articulo ante ὀρχηστρίσιν posito indicatur. Pessime denique interpolator pronomine αὐτός abutitur; nam pervulgatum quidem est servos dominum hac voce designare, sed numquam, quod sciam, dominus ita loquitur, ut servo dicat αὐτὸς εἰςέρχομαι pro ἐγὼ ὁ δεσπότης εἰςέρχομαι. Fortasse pronomen ita tueberis, ut dominum ea voce uti dicas, qua servum usurum sciat; hunc enim dicturum αὐτὸς εἰςέρχεται. Sed ne haec quidem excusatio valet; servi enim hac voce suos quidem dominos designant non alienos, hic vero loquitur Xanthias sed serva est Proserpinae. Denique etiam si pronomen nihil haberet, quod iure reprehenderemus, poëta tamen post αὐτός

non uteretur prima persona sed tertia, ut Theocr. XXIV. 50. ἄνστατε, δμῶες ταλασίφρονες, αὐτὸς ἀϋτεῖ. His de causis utrumque versum spurium esse puto; Xanthiae animus satis declaratur verbis quibus mox Dionysum onus suscipere et secum intrare iubet.

vs. 568.

Ξανθ. καὶ τοῦτο τούτου τοὔργον. ἀλλ' ἐχρῆν τι δρᾶν.
Πανδ. ἴθι δὴ κάλεσον τὸν προστάτην Κλέωνά μοι.
Πλαθ. σὺ δ' ἔμοιγ', ἐάνπερ ἐπιτύχῃς, Ὑπέρβολον,
ἵν' αὐτὸν ἐπιτρίψωμεν.

Locus hic, ut vulgo editur, gravi difficultate laborat. Ipsis cauponis enim servus praesto non est, quem ad Cleonem et Hyperbolum mittere possint; Xanthias autem, cuius nullam in hoc sermone rationem habent, quum hanc ob causam mitti nequit, tum paullo post (vs. 579 sqq.) eum scenam non reliquisse apparet. Praeterea altera certe mulier, quam mox (vs. 577) ipsam ad Cleonem contendere videmus, servo mandare, ut eum arcessat, non potuit. Male porro Xanthiae tribuuntur verba ἀλλ' ἐχρῆν τι δρᾶν. Gaudet sane servus molestiis domini et mulierum suspiciones confirmat verbis τούτου πάνυ τοὔργον, οὗτος ὁ τρόπος πανταχοῦ et καὶ τοῦτο τούτου τοὔργον, sed aliae eius in hoc dialogo partes non sunt: cauponae certe, quas de agendi necessitate a Xanthia admonitas, consulere eum consentaneum erat, sermonem solae inter se continuant. Ego nodum sic explicandum esse arbitror. Verba ἀλλ' ἐχρῆν τι δρᾶν non sunt Xanthiae sed cauponae primae; sequens versus est Plathanes, quae, his assensa, patronum Cleonem eam sibi arcessere iubet: qui dein sequitur versus spurius est, sed verba ἵν' αὐτὸν ἐπιτρίψωμεν Plathanae attribuo. Totus igitur locus in hunc modum scribendus est:

Πανδ. ἀλλ' ἐχρῆν τι δρᾶν.
Πλαθ. ἴθι δή, κάλεσον τὸν προστάτην Κλέωνά μοι,
ἵν' αὐτὸν ἐπιτρίψωμεν.

Caupona paullo post Plathanae paret et ad Cleonem contendit; nam quod in omnibus libris Plathane id facit, perperam hoc fieri in sequentibus demonstrabo. Quem versum spurium esse dixi, insertus esse videtur ab aliquo, qui Hyperboli saepe

cum Cleone mentionem coniungi meminisset. Nam interpolatum esse constat; neque enim credibile est mulieres, quae commune negotium faciant, diversos patronos habere et in sequentibus solus Cleon arcessitur.

vs. 571 sqq.

Πανδ. ὦ μιαρὰ φάρυγξ
ὡς ἡδέως ἄν σου λίθῳ τοὺς γομφίους
κόπτοιμ' ἄν, οἷς μου κατέφαγες τὰ φορτία.
Πλαθ. ἐγὼ δέ γ' ἐς τὸ βάραθρον ἐμβάλοιμί σε.
Πανδ. ἐγὼ δὲ τὸν λάρυγγ' ἂν ἐκτέμοιμί σου,
δρέπανον λαβοῦσ', ᾧ τὰς χόλικας κατέσπασας.
Πλαθ. ἀλλ' εἶμ' ἐπὶ τὸν Κλέων', ὃς κτέ.

Utramque mulierem, et Plathanen et cauponam, quae prima in scena conspicitur, Herculi imprecari videmus, sed, ut locus nunc editur, partes valde inaequaliter inter eas distributae sunt, siquidem Plathanes exsecratio uno versiculo absolvitur et formula continetur vulgatissima et cuivis tempori ac loco accommodata (ἐς τὸ βάραθρον ἐμβαλεῖν); illa contra quum bis imprecatur, tum singulis exsecrationibus duos versiculos implet ipsaque maledicta Herculis personae et furtis adaptat. Nullam causam video, quamobrem Aristophanem alteri mulieri tanto plus tribuisse putemus, quum praesertim in huiusmodi locis παραλληλισμός quidam observari soleat, et duae cauponae exsecrationes tam similes sint inter se ut probabilius sit alteram Plathanes esse, quam eamdem mulierem illepide bis eadem proferre. Itaque mihi persuasum est versum 574 qui hodie Plathanae datur, interpolatoris esse, Aristophanem vero versus quatuor superiores, qui hodie inde a verbis ὦ μιαρὰ φάρυγξ cauponae tribuuntur, Plathanae continuasse, atque ita et huic et illi mulieri satisfecisse. Praeterea verba ἀλλ' εἶμ' ἐπὶ τὸν Κλέων', ὃς κτέ. perperam Plathanae dantur. Sunt cauponae, quae quum verbis diutius tempus teri nollet, ipsa sibi dicendi finem constituit et ad Cleonem pergit. Si haec recte conieci locus hoc modo scribendus erit:

Πλαθ. ἴθι δὴ κάλεσον τὸν προστάτην Κλέωνά μοι.
ἵν' αὐτὸν ἐπιτρίψωμεν. ὦ μιαρὰ φάρυγξ,
ὡς ἡδέως ἄν σου λίθῳ τοὺς γομφίους

κόπτοιμ' ἄν, οἷς μου κατέφαγες τὰ φορτία.
Πανδ. ἐγὼ δέ γε τὸν λάρυγγ' ἂν ἐκτέμοιμί σου,
δρέπανον λαβοῦσ', ᾧ τὰς χόλικας κατέσπασας.
ἀλλ' εἶμ' ἐπὶ τὸν Κλέων', ὃς κτέ.

vs. 605 sqq.
Αἰακ. ξυνδεῖτε ταχέως τουτονὶ τὸν κυνοκλόπον
ἵνα δῷ δίκην. ἀνύετον. Διον. ἥκει τῳ κακόν.
Ξανθ. οὐκ ἐς κόρακας; μὴ πρόσιτον. Αἰακ. εἶεν, μάχει;
ὁ Διτύλας χὠ Σκεβλύας χὠ Παρδόκας
χωρεῖτε δευρὶ καὶ μάχεσθε τουτῳί.

Multa sunt, quae hunc locum partim turbatum, partim etiam interpolatum esse arguant. Prima difficultas cernitur in vs. 608, ὁ Διτύλας κτέ. Aeacus, ad exemplum magistratuum Atticorum, Scythas secum ducere fingitur, quibus primo statim versu imperat, ut canis furem Herculem in vincula coniiciant. Idem tamen paullo post, quasi supra nullum ad viatores verbum fecerit et nunc demum his auxiliis sibi opus esse intelligat, eos ad se vocat verbis, ὁ Διτύλας κτέ. Num igitur hos Scythas ab illis diversos esse putabimus? Minime: sed nomina haec Scytharum loco suo mota sunt et hodie quartum versum tenent, quum deberent primum. Qui post haec sequitur vs. 609 χωρεῖτε δευρὶ καὶ μάχεσθε τουτῳί, interpolationis mihi suspectus est. Aeacus his verbis Scythas accedere et manus cum Xanthia conserere iubet; in quo primum stulte opem petit ab hominibus, quos a Xanthia profligatos iam esse et nihil contra eum audere expertus norat; dein nullus facile magistratus viatoribus suis imperaverit ut cum fure pugnam committant, καὶ μάχεσθε τουτῳί. Sed non obscurum est unde haec verba nata sint: auctor versiculi opinabatur Aeacum, quum Xanthiae dixisset εἶεν, μάχει; vicissim viatoribus imperare debere ut cum eo depugnent. Denique haec interpolata esse etiam inde manifestum est, quod nemo in sequentibus Aeaci mandata exsequitur nec cum Xanthia depugnans conspicitur. His igitur de causis ego vs. 609 spurium esse coniicio; versum autem, quo nomina Scytharum continentur, olim primum locum tenuisse, ut Aeacus ab his appellandis initium fecerit, post vero, quum Xanthiam superiorem discedere vidisset, nec denuo

sagittarios advocaverit, nec aliud quidquam contra eum molitus sit. Qui sequuntur versus duo εἶτ' οὐχὶ δεινὰ ταῦτα κτέ.) nunc Dionyso dari solent; sed me iudice melius Aeaco tribuentur. Superest ut dicamus de dualibus ἀνύετον et μὴ πρόςιτον, qui quum tres viatores habeat Aeacus ipseque in superiori versu plurali ξυνδεῖτε, utatur, ferendi nequaquam sunt. Equidem pro ἀνύετον scribo οὐκ ἀνύσεθ'; quo et metrum salvum est et pluralis restituitur: alterum dualem μὴ πρόςιτον corruptum esse suspicor ex μὴ πρόςιτε: quamquam de hoc versu, in quo etiam ut vulgo editur, metrum laborat, et si mea coniectura admittatur, pedem unum desiderari videmus, certius quid statui non potest. Totus autem locus hoc modo scribendus esse videtur:

Αἰακ. ὁ Διτύλας χὠ Σκεβλύας χὠ Παρδόκας,
ξυνδεῖτε ταχέως τουτονὶ τὸν κυνοκλόπον
ἵνα δῷ δίκην· οὐκ ἀνύσεθ'; Διον. ἥκει τῳ κακόν.
Ξανθ. οὐκ ἐς κόρακας; μὴ πρόςιτ'. · · · · · Αἰακ. εἶεν. μάχει;
εἶτ' οὐχὶ δεινὰ ταῦτα κτέ.

vs. 687 sqq. Πρῶτον οὖν ἡμῖν δοκεῖ
ἐξισῶσαι τοὺς πολίτας κἀφελεῖν τὰ δείματα,
κεἴ τις ἥμαρτε σφαλείς τι Φρυνίχου παλαίσμασιν,
ἐγγενέσθαι φημὶ χρῆναι τοῖς ὀλισθοῦσιν τότε
αἰτίαν ἐκθεῖσι λῦσαι τὰς πρότερον ἁμαρτίας·
εἶτ' ἄτιμόν φημι χρῆναι μηδέν' εἶν' ἐν τῇ πόλει.

Aristophanes quum suadet civibus ut omnium ius aequent et eos, qui olim a partibus Phrynichi stetissent, metu liberent, nihil aliud velle potest, quam iis qui hanc ob causam capite deminuti et infamia notati essent, optimum civitatis ius reddere eosque ἐπιτίμους facere. At si haec sententia est verborum ἐξισῶσαι τοὺς πολίτας, quod in dubium vocari nequit, id, quod quatuor illis versibus continetur non discrepat ab eo, quod legitur vs. 692, εἶτ' ἄτιμόν φημι χρῆναι μηδέν' εἶν' ἐν τῇ πόλει, et vel poëtam bis eadem canere vel hunc versum ab interpolatore insertum esse necesse est. Optio non difficilis est, quum praesertim ea quae de infamibus restituendis supra dicuntur, in ultimo versu ita repetantur, ut auctorem eius priorem locum non optime intellexisse appareat. Declara-

ur hoc quum adverbio εἶτα, quo non uteretur, si nihil novi afferre se vidisset, tum id ipsum quod suadet, nimium est, Aristophanes enim iis tantum civibus ius civitatis reddebat, qui propter partes, quas in republica secuti erant, notati essent; noster vero, quum infamem nullum in urbe relinqui iubet, ne eos quidem excipit, quibus haec nota propter scelera et vitae turpitudinem inusta est. In ipsis verbis locutio φημὶ χρῆναι, quae paullo ante item occurrit, inde ab interpolatore sumta esse videtur. At, inquies, hoc versu expuncto, epirrhema uno versu brevius erit quam antepirrhema. Est ita, sed mox videbimus etiam in antepirrhemate versum reperiri, quem nihilo magis quam hunc genuinum esse nobis, ut spero, evincere licebit.

vs. 717 sqq.

πολλάκις γ' ἡμῖν ἔδοξεν ἡ πόλις πεπονθέναι
ταὐτὸν ἔς τε τῶν πολιτῶν τοὺς καλούς τε κἀγαθοὺς
ἔς τε τἀρχαῖον νόμισμα καὶ τὸ καινὸν χρυσίον.

Verba καὶ τὸ καινὸν χρυσίον ab hoc loco aliena sunt. Nam pulchre quidem Atheniensium affectus in bonos et antiquae probitatis cives confertur cum aestimatione in qua antiqua et optimae notae moneta apud eos habetur, sed de recentibus nummis nullus in hac comparatione sermo esse potest. Ferendum hoc esset, si poëta inquilinos cives genuinis opponeret; nunc vero ut illic bonos et genuinos cives ita hic bonam et veterem pecuniam solam commemorari necesse est. Neque omittendum verba καὶ τὸ καινὸν χρυσίον, hoc loco posita, facere ut sequentia etiam de nova pecunia intelligenda sint, quo fit ut sententia plane pervertatur. Ipsum denique vocabulum χρυσίον locum suspectum reddit; in nummis Atticis enim maxime celebrantur tetradrachma, quae non aurea sed argentea esse nemo ignorat. Quid Aristophanes scripserit hodie sciri nequit; sed καὶ τὸ καινὸν χρυσίον additum a correctore, qui veterem lacunam explere vellet.

vs. 721 sqq.

οὔτε γὰρ τούτοισιν οὖσιν οὐ κεκιβδηλευμένοις,
ἀλλὰ καλλίστοις ἁπάντων, ὡς δοκεῖ, νομισμάτων

καὶ μόνοις ὀρθῶς κοπεῖσι καὶ κεκωδωνισμένοις
ἔν τε τοῖς Ἕλλησι καὶ τοῖς βαρβάροισι πανταχοῦ
χρώμεθ' οὐδὲν, ἀλλὰ τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις κτέ.

Numquam intellexi, quomodo *κωδωνισμός*, qui apud exteras et barbaras nationes exerceretur, in laudem veteris pecuniae Atticae afferri possit. Pendet enim haec res ab arbitrio singulorum et pro cuiusque negotiatoris securitate vel suspicionibus tam in recentissima pecunia quam in antiquis nummis vel exercetur vel omittitur. Itaque nihil est quare *τὰ κεκωδωνισμένα τῶν νομισμάτων* meliora sint *τῶν ἀκωδωνίστων*, quum neque omnes optimae notae nummi probarentur, nec sciri posset qui probati essent nec ne, et fieri posset ut etiam recentissimi et pessimi in negotiationibus ab exteris et barbaris acciperentur et probarentur. Quae quum ita sint, mihi persuasum est Aristophanem, qui *κεκωδωνισμένοις* coniunxerit cum *ὀρθῶς κοπεῖσι*, de probatione loqui, quae non extra urbem a privatis fieret, sed Athenis publice in pecunia recens cusa olim locum habuisset, at illis temporibus negligeretur. Versus 724 *ἔν τε τοῖς Ἕλλησι καὶ τοῖς βαρβάροισι πανταχοῦ*, quo res ad barbaras gentes et privatos homines transfertur, ab interpolatore insertus est: hoc eo confidentius affirmo, quod epirrhema item ab interpolatore uno versu auctum esse vidimus et, quod omnem dubitationem eximere debet, Pollux IX. 90, ubi hunc locum totum exscripsit, unum illum versum non habet.

vs. 935. *εἶτ' ἐν τραγῳδίαις ἐχρῆν κἀλεκτρυόνα ποιῆσαι;*

Hunc versum Aristophanis esse non puto. Euripides enim paullo post ipse gloriatur poësin a se ab Aeschyli magnificentia traductam esse ad res domesticas, *οἷς χρώμεθ', οἷς ξύνεσμεν*, et Aeschylum potius laudare, quam vituperare debebat, quod is gallum gallinaceum in tragoedia fecisset. Et ne fecit quidem gallum Aeschylus, sed *ἱππαλεκτρυόνα*, quod vocabulum non ut humile reprehendi sed inter grandia et *μορμορωπά* censeri solet. Itaque nihil minus cadit in Euripidem Aristophanis, quam haec Aeschyli reprehensio, quam Comicum ei non attribuisse pro certo habeo. Nam quod Aeschylus statim post verbis, *σὺ δ' ὦ θεοῖσιν ἐχθρὲ, ποῖ' ἄττ' ἐστὶν ἄττ' ἐποίεις*, istum

versiculum respicere videtur, nihil id nos morari debet: eodem iure enim haec verba ad convicia referri possunt, quae vs. 927 sqq. in eum effuderat Euripides.

vs. 1030. *ταῦτα γὰρ ἄνδρας χρὴ ποιητὰς ἀσκεῖν.*

Quod hoc loco in omnibus libris legitur verbum *ἀσκεῖν*, poëtae manus esse non videtur. Nihil quidem prohibet, quominus poëta strenuus miles esse possit, sed tamen virtus militaris ab huius loci argumento aliena est, nec quidquam commune habet cum officio eius, quem carminibus, non exemplo homines docere oporteat. Itaque dubium non est, quin *ἀσκεῖν* ab Aristophane profectum non sit: Comicus dederat *λάσκειν*, quod pro *φθέγξασθαι* in hac comoedia legitur vs. 97 *ποιητὴν, ὅστις ῥῆμα γενναῖον λάκοι*, et in Pluto vs. 39. *τί δῆτα Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων*; Praesens *λάσκων* est in Acharn. vs. 1045, ubi chorus, quum Dicaeopolis dixisset, *ὀπτᾶτε τἀγχέλεια*, respondet verbis: *ἀπολεῖς με καὶ τοὺς γείτονας φωνῇ τοιαῦτα λάσκων.* Conf. etiam Eurip. Androm. vs. 672. *ξένης δ' ὕπερ | τοιαῦτα λάσκεις τοὺς ἀναγκαίους φίλους.*

vs. 1235 sq.

ἀλλ', ὦγάθ', ἔτι καὶ νῦν ἀπόδος πάσῃ τέχνῃ·
λήψει γὰρ ὀβολοῦ πάνυ καλήν τε κἀγαθήν.

Bekkerus et Dindorfius pro activo *ἀπόδος*, quod in libris est, scripserunt medium *ἀπόδου*, quod nihilo melius: Bergkius contra in editione Teubneriana *ἀπόδος* restituendum curavit. At neutrum horum probandum est; sententia loci omnino postulat ut scribamus: *ἀλλ' ὦγάθ', ἔτι καὶ νῦν πρίω πάσῃ τέχνῃ.* Euripides enim paullo ante, quum Dionysus ei suasisset, ut *λήκυθον* ab Aeschylo redimeret, facturum se negaverat, quoniam sat multos prologos sibi superesse putaret, quibus ille ollam suam adaptare non posset. Itaque Dionysus eum, postquam hac spe falsus est et saepius victus e certamine discessit, etiam nunc (*ἔτι καὶ νῦν*) ollam ab adversario redimere (*πρίασθαι*) iubet. Corruptela inde nata esse videtur, quod *πρίω* mutatum in *ἀποπρίω*, quo verbo poëta utitur vs. 1227, *ὦ δαιμόνι' ἀνδρῶν ἀποπρίω τὴν λήκυθον*, dein vero *ἀποπρίω*, quod metrum pessumdabat, ab aliquo correctore mutatum in *ἀπόδος*.

Qui sequitur versus, λήψει γὰρ ὀβολοῦ πάνυ καλήν τε κἀγαθήν, spurius esse videtur: huic certe loco adaptari nequaquam potest. Etenim Dionysus persuadebat Euripidi ut ab adversario redimeret non quamvis ollam, sed illam, qua prologos eius pessumdabat Aeschylus (τὴν λήκυθον): versus contra de quo disputamus ita factus est, ut non certam ollam dicat Dionysus, sed quasi in officina figuli hunc cum Euripide sermonem habeat, quamcunque ollam emere eum iubeat, quoniam universae bonae sint et parvo veneant. Auctori enim ut Aeschyli ollam velle eum intelligeremus, addendum erat participium οὖσαν post καλήν τε κἀγαθήν et nihil dicendum de pretio: nam Euripidem πάσῃ τέχνῃ, i. e. vel magno ollam redimere volebat. Ego versum vel ab interpolatore conflatum esse, vel quod potius crediderim, aliunde desumtum et in margine adscriptum, inde post in textum translatum esse puto.

vs 1249. καὶ μὴν ἔχω γ' ὡς αὐτὸν ἀποδείξω κακὸν
μελοποιὸν ὄντα.

Apud Graecos saepe quidem post οὐκ ἔχω ponitur particula ὅπως vel πῶς cum coniunctivo; numquam vero sive ἔχω non addita negatione ita adhibetur, sive ὡς ponitur pro ὅπως. Itaque quod hodie hic scriptum legitur ἔχω ὡς ἀποδείξω pro ἔχω ἀποδεῖξαι sanum non est: poëta, ni fallor, dederat:

καὶ μὴν ἔχω γ' οἷς αὐτὸν ἀποδείξω κακὸν κτέ.

vs. 1251 sqq. τί ποτε πρᾶγμα γενήσεται;
φροντίζειν γὰρ ἔγωγ' ἔχω,
τίν' ἄρα μέμψιν ἐποίσει
ἀνδρὶ τῷ πολὺ πλεῖστα δὴ
καὶ κάλλιστα μέλη ποιή-
σαντι τῶν ἔτι νυνί.
θαυμάζω γὰρ ἔγωγ' ὅπῃ
μέμψεταί ποτε τοῦτον
τὸν βακχεῖον ἄνακτα
καὶ δέδοιχ' ὑπὲρ αὐτοῦ.

Aristophanes nobis in hoc carmine optionem dare videtur, utrum potius legamus φροντίζειν γὰρ ἔγωγ' ἔχω | τίν' ἄρα μέμ-

ψιν ἐποίσει, an θαυμάζω γὰρ ἔγωγ' ὅπῃ | μέμψεταί ποτε et utrum Aeschylum malimus dicere ἄνδρα τὸν πολὺ πλεῖστα δὴ | καὶ κάλλιστα μέλη ποιή | σαντα τῶν ἔτι νυνί, an βακχεῖον ἄνακτα. Intolerabilis haec dittographia est; nam sententiam nihil plane differre atque ipsa adeo verba partim eadem esse primo adspectu in oculos incurrit. Praeterea particula γάρ quae vs. 1252 post φροντίζειν recte ponitur, altero loco post θαυμάζω sensu cassa est, neque ullam causam reperio, quare pronomen ἔγωγε, quod vs. 1252 legitur, infra vs. 1257 iterari debeat. Itaque non dubito, quin altera utra huius carminis pars expungenda sit, ut vel scribamus:

τί ποτε πρᾶγμα γενήσεται;
θαυμάζω γὰρ ἔγωγ' ὅπῃ
μέμψεταί ποτε τοῦτον
τὸν βακχεῖον ἄνακτα
καὶ δέδοιχ' ὑπὲρ αὐτοῦ.

vel carmen ita constituatur:

τί ποτε πρᾶγμα γενήσεται;
φροντίζειν γὰρ ἔγωγ' ἔχω
τίν' ἄρα μέμψιν ἐποίσει
ἀνδρὶ τῷ πολὺ πλεῖστα δὴ
καὶ κάλλιστα μέλη ποιή-
σαντι τῶν ἔτι νυνὶ
καὶ δέδοιχ' ὑπὲρ αὐτοῦ.

Unde haec dittographia orta sit et quem auctorem habeat, hodie sciri nequit. Non improbabile est duas antiquitus Ranarum exstitisse editiones (conf. argum. I. οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν ὥςτε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος), quae quum longe plurimis locis inter se congruerent, nonnullis tamen versibus discrepabant; has editiones postea coaluisse et quum singuli versus et loci, qui diversi essent, iuxta ponerentur, inde dittographias natas esse. Huius certe rei quum hoc loco vestigia mihi deprehendere videor, tum etiam in ultima comoediae parte indicia supersunt. Duo exempla apponam, quae mihi quidem dubitandi locum relinquere non videntur. Primum vs. 1366 sq.

ἐπὶ τὸν σταθμὸν γὰρ αὐτὸν ἀγαγεῖν βούλομαι,

ὅςπερ γ' ἐλέγξει τὴν ποίησιν νῷν μόνος·
τὸ γὰρ βάρος νῷν βασανιεῖ τῶν ῥημάτων.

alterum, in quo dittographia etiam magis manifesta tenetur, est vs. 1446 sqq.

εἰ τῶν πολιτῶν οἷσι νῦν πιστεύομεν,
τούτοις ἀπιστήσαιμεν, οἷς δ' οὐ χρώμεθα,
τούτοισι χρησαίμεσθα, σωθείημεν ἄν.
εἰ νῦν γε δυστυχοῦμεν ἐν τούτοισι, πῶς
τἀναντί' ἂν πράττοντες οὐ σῳζοίμεθ' ἄν.

vs. 1415 sq.

Διον. ἐὰν δὲ κρίνω; Πλ. τὸν ἕτερον λαβὼν ἄπει,
ὁπότερον ἂν κρίνῃς, ἵν' ἔλθῃς μὴ μάτην.

Alter versus procul dubio subditicius est. Argumentis hanc coniecturam firmare supersedemus. Non facile quemquam fore speramus, qui eum defensurus et Aristophane dignum iudicaturus sit.

vs. 1427 sq.

μισῶ πολίτην ὅςτις ὠφελεῖν πάτραν
βραδὺς φανεῖται, μεγάλα δὲ βλάπτειν ταχύς.

Futurum φανεῖται hic, ubi de vita Alcibiadis ante acta loquitur Aristophanes, ferri nullo modo potest. Itaque BEKKERUS scripsit πέφυκε, quod a BERGKIO receptum est. Imo legendum πέφανται, quod et ad codicum lectionem propius accedit et huic loco magis accommodatum est; nam Alcibiadem eiusmodi civem esse rebus gestis eius constabat. Perfectum πέφανται apud Euripidem hoc sensu legitur in Medea vs. 769. οὗτος γὰρ ἀνὴρ — λιμὴν πέφανται τῶν ἐμῶν βουλευμάτων. Conf. etiam Plat. Soph. 231 C. πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διαλογισώμεθα — ὁπόσα ἡμῖν ὁ σοφιστὴς πέφανται· δοκῶ μὲν γὰρ τὸ πρῶτον εὑρέθη νέων καὶ πλουσίων ἔμμισθος θηρευτής.